



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Tertia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

6. In dubio an mutatio superveniens sit tanta, ut juramentum non obliget, judicatum obligare, quia possidet juramentum: poterit nihilominus peti relaxationem, ipso dubio causam relaxationis concedente. Ita Suar. lib. 2. de juram. c. 35. n. 10. Fag. lib. 2. in Dec. prac. 2. c. 19. n. 17.

Tertia Regula.

7. Juramentum numquam censetur factum in præjudicium tertij, cap. venientes, cum contingat, de jurejurando, cap. 2. eod. in alibi, quia sic esset illicitum.

8. Hinc, qui juravit secretum servare alicui; si ex secreto penderet alicui malum poterit illud revelare ei, cui prodesse, non obesse potest qui juravit se de tali loco non abcessurum, si à Superiore serio jubeatur descendere potest, imò debet obedire, secus fieret eidem superiori præjudicium. Qui juravit solvere centum Petro posteriori, potest, debetque solutionem dare anteriori, si alii centum non suppetant. Qui juravit longam instituire peregrinationem, potest, ac debet ab ea desistere, si Dominus, in cujus fortè potestate est, abnuat. Atque hæc, & similia, ideo sic se habent, quia illicitum est nocere proximo, vel alicui præjudicium ferre.

§. V. Expenduntur aliqua Juramenta promissoria.

1. **E**X doctrina hæcenus in superioribus sparsim allata, solvi possunt plures non contemnendæ difficultates circa aliqua juramenta particularia; quæ ad majorem claritatem sunt hic sigillatim proponenda.

Juramentum sine consensu.

Quando tu consensum ex quacumque causa non præbuisisti, (sed dissentiendo interne, solum, v. g. docetenus promissisti, vel jurasti) etiam si peccatum tibi non fore servare juramentum, tamen non teneris servare ex vi Religionis, nec obligaris petere relaxationem, sed gerere te poteris, perinde ac si nihil jurasses, nec promississes, Sic Oñate tom. 1. de contractibus, tract. 2. disp. 3. sect. 1. 3. n. 234. Ratio est, quia nunc, cum non assuerit ullus animi consensus, ne meticolosus quidem, nulla obligatio contractus oriri potest.

Hinc vides discrimen, cur consensus meticolosus juratus obliget saltem momentaneam solutionem, ut mox n. 6. dicam, hic verò consensus fictus ad nullam discrimen autem est, quia hic nullus adest consensus, cum tamen ibi, quamvis meticolosus, adfit. Si quando tamen per ejusmodi fictionem injustè proximum deceptisti, te obligat ad illius damna nimis sæpe diximus.

Juramentum de actu irritato per legem.

2. Quando jus non solum irritat contractum, seu actum, sed etiam juramentum, sive irritando ipsum actum sive prohibendo, ne ei contractus juramentum apponatur, non obligat juramentum. Sic de Lugo l. 2. de just. disp. 22. sect. 8. num. 596. Oñate t. 2. de contractibus, tract. 4. disp. 17. sect. 2. n. 66. Basil. Pont. de mar. lib. 12. cap. 8. n. 37. Ratio est, quia tunc Ecclesia veluti antecedenter per se bonam communitatis sive irritavit, sive relaxavit illud juramentum: Sic Tridentinum sess. 23. cap. 16. de Regul. irritavit renuntiationem etiam juratam Novitij, nisi certis conditionibus assignatis: sic etiam matrimonium gravi, injustoque metu celebratum, etiam accedente juramento, invalidum est ex cap. 2. de eo qui duxit; idem in professione solemnii, & in quibuscunque votis ex metu, modo explicato supra lib. 1. c. 2. n. 8.

3. Solum possit esse controversia, an sicuti certum est, id posse facere Ecclesiam, cujus est potestas juramenta relaxandi, etiam antecedenter, quam emittantur; ita possint Principes alio modo, sive remittendo obligationem, sive reddendo materiam ineptam juramento, sive constituendo jurantem incapacem, &c. Et quidem posse docent nobiles Doctores, Sanch. lib. 3. in Dec. c. 22. n. 10. de

Lugo l. c. n. 243. Basil. Pont. l. c. n. 38. Castr. t. 3. n. 3. disp. 2. de jur. p. 4. n. 6. id quod nobis satis sit inquisisse.

Juramentum ex parte actus illicitum.

4. Si actus ipse jurandi sit illicitus ratione alicujus circumstantiæ, ut si, v. g. juramentum de donando equum amico, sit cum magna ira, cum blasphemia, contra præceptum Superioris, contra votum, quod quis fortasse emisit de non jurando, &c. obligabitne ad sui executionem?

Respondeo cum Suar. t. 2. de Rel. lib. 2. de Jur. c. 24. n. 2. & 3. obligare, quia, licet juramentum comitetur aliquod ex illis capitibus prædictis, tamen ipsa materia, circa quam factum juramentum, nempe ipsa donatio equi, non est illicita, ut supponimus, & actus ipse juramenti ex committitur ita quoad substantiam non vitiat.

5. Quod si præceptum, v. g. Superioris non solum fuerit de non jurando, sed etiam de non donando ex vi juramenti, & supponatur tale præceptum validum esse, & legitimum, certe tunc ipsa materia juramenti erit illicita, quia contra prohibitionem, atque adeò non aderit obligatio illam exequendi. Idem dic, si ex ira promittatur, puniti, in vindictam alicujus, v. g. filius à patre, servus à Domino, &c. tunc enim cum illa punitio, quæ est materia juramenti sit mala, sive venialis, observanda, ex dictis §. 3. non est.

Juramentum illicitum ex parte ejus, qui illud per metum gravem, vel vim, vel injuriam extorquet.

6. Extorquet à te latro juramentum, ut promittas ei dare pecuniam; Idem facit per injuriam ulurarius, ut promittas ei solvere usuras ex mutuo, obligatis sine promissis? Respondeo te obligari. Ita S. Thom. Molin. Sanch. Bon. aliique apud Castr. t. 3. disp. 2. de jur. p. 4. n. 3. Laym. lib. 4. tr. 3. c. 7. n. 7. Ratio est, quia, licet illi peccent accipiendo, & ad restituendum accepta teneantur; tu tamen potes sine peccato dare. Adverte tamen id à te fieri momentanea solutione posse, ad servandam Deo, & juramento reverentiam, sed statim poteris etiam (si opus fuerit) Officio judicis implorato, repetere; cujus rei ratio redditur infra §. 6. n. 2. Poteris, item, si libuerit, à Superiore petere juramenti relaxationem, & nihil dare, ipsa enim injuria sufficientem affert Superiori causam dispensandi. Quas disparitates huc facientes vide infra, n. 21. & n. 44.

Juramentum contra aliud juramentum, vel votum.

7. Si juramentum sit de se, seu materia opposita rei per aliud juramentum, vel votum promissa, obligabitne? v. g. juravi, vel voti castitatem, deinde promitto cum juramento ducturum hanc puellam, obligor-
tam illam ducere?

Respondeo te non obligari. Ita Suar. tom. 2. de Relig. tract. de jur. lib. 2. c. 19. num. 10. Oñate tr. 11. disp. 40. sect. 3. n. 119. alii relaxatis, contra Gomez. Ratio est, quia, hic non solum adest peccatum in ipso actu jurandi, sed etiam adest materia jam reddita mala ex vita antecedentis juramenti, vel voti. Similiter enim, si promissisti sponsalia cum sine juramento huic femine; non valet juramentum de ducenda alia, ex Sanch. lib. 1. de marrim. disp. 50. quia propter priora sponsalia, reddita sunt nulla hæc posteriora, atque adeò non sunt apta ad recipiendam obligationem novi juramenti.

8. Audi causam: juravit petrus se ducturum Bertam, deinde juravit se ducturum Catharinam. Post hæc Berta remisit voluntariè sponsonem sibi factam à Petro, obligabiturne Petrus ducere Catharinam? Atque idem posse queri, si ex quocunque alio capite prius juramentum incipiat vim non habere.

Respondi non obligari. Ita Sanch. lib. 1. de marrim. disp. 50. num. 4. Suar. l. c. n. 15. Castro Pal. t. 3. disp. 2. p. 8. §. 6. fin. Ratio fuit, quia: Quod initio invalidum est, tractu temporis non convalescit. Reg. Non firmatur, de reg. jur. in 6. Cum